

basigen Churfürstl. Richterent Münch, vermoige von Thro Churfürstl. dchl. unserm Gnädigst. Herrn bestätigter Hobsordnung und Conclusi Capitularis vom 15ten Xbris 1684 wohl ernstlich errinnerende, gegen keine Ihr Thorishe Hobsleuthe, über diejenige Schuldigkeit, so a Capitulo nicht consentyrt, keine Execution zu erkennen, und die etwa vor demselben, dagegen unbefugt, vorgenommen, proceduiren, als in specie in Sachen Wittibens Werbecks und Consorten a Appelhoff, hen-Hagtmann und Consorten a Terhoven und sonstigen also bald aufzuheben, die zu Unrecht weggenomene Kuhe zu restituiren, und widerigenfalls keine Ursachen zu geben, das ein Hochwürdiges Dom-Capitol sich hic ein falls, bey Ihr. Churfürstl. Durchl. höchstens zu belägen, und gegen Ihren Richterent aller darauf entstehenden Weiztherung und Schadens zu erhöhlen sich wohl befugt und genöthiget befunden werde; und dieweil dieser Recess im Jahr 1614 mit Belieben Dero Churfürstl. Durchl. aufgerichtet, und gnädigst approbhirter Hoff-gericht-Vrdnung gegründet; Als haben Wir Chorbischoff und anwesenden Capitularen vorgl. dieselbe mit unserem Insiegel bekräftigt; so geschehen im Jahr 1691 den 19. Octobris.

Gerard Rensing.

### Beilage 62.

#### Instrumentum de juribus Curtis de Dursten.

In Nomine Domini Amen.

Anno a nativitate ejusdem millesimo quadrigentesimo primo, inductione nona, mensis Augusti die octava, hora vesperarum vel quasi, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Dni nostri Domini Bonifacii divina Providentia Papae noni Anno XII. coram honorabilibus viris Dnis Goswino de Wynga Canonico Ecclesiae Sancti Victoris Xantensis Coloniens. Dioecesis et Goswino Pastore Ecclesiae parochialis in Glaitsbecke ejusdem dioecesis, judice seu officiato Ven. virorum Dominorum Decani et Capituli Ecclesiae Xantens. praedictae curtis et bonorum eorundem in Dorsten, in meique notarii publici ac testium infra scriptorum praesentia personaliter constituti et convocati per dictum Dnum Goswinum judicem, seu ipsius certum nuncium discreti viri Noldo de Oillkaten dictus Broile, Hermannus de Scholuen, Gerardus de Bunsell, Rutgers ten Buckhorn, Joannes ten Diecke, Joannes de Hellentorp dictus Hornken, Lambertus ten Tymberhuys, Hermannus ten Hage, Gerardus Oufelt, Gerardus Cloeikinch et Joannes ten Eickelen curiales curtis praedictae, quibus sic congregatis praedictus Dnus Goswinus iudex seu officiatus nomine praedictorum Dominorum Decani et Capituli Ecclesiae Xantens. et pro ipsis requisivit eosdem quatenus sub fide et juramento eorum quibus astricti essent Dominis Decano et Capitulo praec-

dictis et curti eorum de Dorsten dicerent, decernent et declararent articulos et puncta infra scripta eisdem requirenda postpositis omnibus dolo, fraude, amore, timore, gratia vel favore.

**Art. 1.** Primo itaque idem Dominus Goswinus judex requisivit ab eisdem decerni et pronunciari quale jus antenominati Domini Decanus et Capitulum haberent in Curte de Dorsten et bonis ejusdem.

Ad quod antedicti Curtiales ad partem seorsum secedentes et se mutuo deliberantes, revertentesque deliberatione praehabita, responderunt et dixerunt: Quod Dni Decanus et Capitulum Xantense essent veri Domini curtis de Dorsten et honorum spectantium ad eandem, ac ejusdem proprietas pertineret ad eosdem, salvo tamen jure cuiuslibet alterius in bonis quae tenentur de dicta curte jure vitae ductus seu alimoniae.

**Art. 2.** Iterum requisiti praenarrati curtiales utrum omnes et singuli curtiales curtis de Dorsten vel habentes bona de eadem curte tenentur esse juratos et fidelitatis juramentum in talibus fieri consuetum praestare Dnis Decano et Capitulo ante nominato et curti de Dorsten. Ad quod praedicti curtiales deliberatione, prout praemissum est, prae habita responderunt: Quod curtis de Dorsten secundum consuetudinem terrae suae reputaretur dimidia curtis, et debet solummodo habere sex juratos, qui sex jurati debent recipi et eligi de novem personis habentibus et possidentibus bona de eadem curte, qui valentiores et utiliores ad illud fuerint, caeteri vero habentes bona spectantia ad eandem curtem non tenentur esse juratos, seu aliquod juramentum, pro ut requisitum est, praestare, praedictae itaque sex personae decernunt decernenda, pronuntiant pronuntianda, accusant accusanda, convocatis tunc ad eorum consilium coeteris curtialibus tempore et loco competenti, et praedicta novem bona de quibus possidentes talia, antedictae sex personae debeant eligi et assumi, sic nominantur et sunt talia videlicet bona Joannis Buyuss, bona Joannis Boichem, bona Joannis Tymberhuys, bona Ten Eickelen, duo mansui Tervuyrt, bona Hermanni Ten Scholle, mansus To Bislick, et mansus To Gerechten; in super etiam praedicti curtiales dixerunt, quod unus de praedictis sex personis juratis per se vel per alium rogatum, per eum tenentur tempore et loco et consueto pronuntiare jura curtis praedicta et bonorum ejusdem, juxta decretum est et consilium coeterorum juratorum, ipsi etiam possunt et debent reliquos curtiales ad consilium eorum vocare tempore oportuno et consiliari cum eisdem super dubiis ipsorum. Et addiderunt quod jurati et curtiales antedicti quolibet anno quater solent convenire ad perscrutandum et inquirendum, si curtis praedicta et bona ejusdem permaneant in jure eorum, ubi

tunc etiam accusant accusanda, et pronuntianda et dicenda juxta modum consuetum pronuntiant. Et sunt dies hujusmodi in quibus sic convenient, videlicet: Proxima 2da feria post festum Sti Lamberti Episc. et 2da feria post festum Epiphaniae Domini proxima, et 2da feria quae venit per quindenam ante festum nativitatis Sti Joannis Baptistae, et ulterius dixerunt: Quod ipsi etiam tenentur venire ad dies curtiales aliarum curtium, videlicet curtis de Recklinghuisen et curtis de Oer et coeterorum.

Ad 3. Iterum requisiti an aliquis valeret habere et possidere bona spectantia ad curtem de Dorsten de jure qui non esset seu non esse tenentur *Bolschirich* et *Höriich* Dominorum Decani et Capituli supernarratorum in hunc videlicet modum quod viventibus hujusmodi bona possidentibus seu habentibus nihil tenentur dominis memoratis ultra pactum censum, seu pensionem de talibus bonis solvore consuet.; sed habentibus seu possidentibus bona praedicta defunctis antefati Domini Decanus et Capitulum habebunt et habere debent dimidietatem omnium et singulorum bonorum mobilium relictorum per talem mortuum, scilicet dimidietatem equorum, ovium, boum, vaccarum, et aliorum pecorum quorumcunque, nec non dimidietatem bladorum illorum, quae culta fuerunt in agris spectant ad curtem de Dorsten quae essent triturata et a straminibus excussa, exceptis tamen illis quae vulgariter dicuntur *Hergeweide* et *Geraide*, de quibus antenominati Domini nihil habent, quia filius antiquior defuncti tollet primo equum meliorem patris sui defuncti et vestimenta ipsius pro se, et filia antiquior tollet similiter et habebit vestimenta matris suae defunctae ex toto; de coeteris vero bonis sicut secundum consuetudinem eorum antiquam. Cum praedicti curtiales dicunt se esse liberiores quam homines aliarum curtium.

Art. 4. Item requisiti utrum aliquis posset habere bona pertinentia ad curtem de Dorsten, qui in ipsis personaliter non habitaret, sed loco sui poneret aliquem colentem talia bona, qui esset *Bolscherich* et *Hörich* praedictorum Dominum. Ad quod praedicti curtiales et jurati unanimiter responderunt, quod prout supra responsum est, quod quilibet habens et possidens bona spectantia ad curtem antedictam debet ea personaliter colere et residere in eisdem ac esse *Hüldich* et *Hörich* Dominorum praedictorum, eo modo quo praemissum est, et addunt quod si oppositum fieret, illud fieret minus juste et indebite, dicentes etiam, quod plura sunt talia bona ad curtem praedictam pertinentia, quorum fructus et proventus saltem pro parte tollunt aliqui, qui non sunt *Bolschirich*, *Hüldich* seu *Hörich* Dominorum antenominatum et non habitant personaliter in eisdem, sed ponunt loco sui in hujusmodi bonis quosdam alios, qui talia bona colunt et ha-

bitant in eisdem, qui etiam partem fructuum bonorum illorum habent pro laboribus et expensis eorum, et illos volunt dici et esse Wölschirig et Hörich, prout supra praemissum est. Praedicti itaque jurati et curiales id accusantes tanquam minus justum et indebitum nominaverunt bona quae eo modo possidentur continent. septem mansos sitos in der Freiheit de Dorsten, videlicet mansum tho Gerechten mansum dictum Borchhoue to Loise mansum dictum Grote Hōue to Papebeke, mansum dictum Vuiten Hōue to Belthuisen, mansum dictum jutten Hōue to Wolfsfreyentap, et mansum coloni ten Buynß.

Art. 5. Item requisiti in quo et quanto fore fecerunt seu deliquerunt illi qui praedicta bona habent modo quo praedictum est. Ad quod respondent, quod hoc pro praesenti definire non possunt, quia illud stat in gratia et beneplacito Dominorum antenominatorum, qui hujusmodi negligentias jam dudum fieri permiserunt et adhuc fieri permittunt, quamvis talia perpetrantes graviter delinquunt imo dicunt, quod Domini supradicti id scientes et consentientes seu injuriae hujusmodi non resistentes satis graviter delinquunt, cum per tales negligentias et similes, curtis, praedicta et bona pertinentia ad eandem injuriantur, et suo jure et libertatibus privantur.

Art. 6. Item requisiti quomodo vel pro quanto debet fieri acquisitio bonorum pertinentium ad curtem praedictam quando vacare ea configerit per obitum possidentis vel alias; ad quod respondent, quod acquisitio talis debet fieri cum quatuor solidis denariorum pagamenti Dorstensis persolvendis Dominis praedictis, seu eorum officiato.

Art. 7. Item requisiti an Domini praedicti valeant se intromittere de bonis antedictis quando vacaverint per mortem possidentis tanquam ad eos devolut. Ad quod respondent, quod haeredes proximiores possidentis defuncti vel ille cui id ab ipsis haeredibus permititur, possunt talia bona sic vacantia acquirere a praedictis Dominis seu eorum officiato cum quatuor solidis pagamenti Dorstensi. praedicti, et illud praedicti Domini seu eorum Officiatus non habent contradicere dummodo acquirentes seu possidentes talia bona fecerint quod juris fuerit illorum bonorum et ea voluerint in propria persona colere et possidere et in jure eorum antiquo conservare.

Art. 8. Iterum requisiti an praedicta bona seu mansi possunt dividi a possidentibus propter consensum Dominorum Decani et Capituli Ecclesiae Xantens. Respondent quod talia bona non possunt dividi propter consensum Dominorum praedictorum seu officiati eorum. Et addunt quod saepe visum est fieri et fit communiter quod aliqua pars aliquius mansi datur alicui in usufru-

ctum seu ad vitam ipsius, quo mortuo talis pars debet reverti ad alia bona a quibus extracta fuit, praescriptis Dominis seu eorum officiato ad hoc non requisito.

**Art. 9.** Item requisiti an omnes qui tenentur praestare jumentum ratione bonorum suorum praedictorum illud praestarunt. Respondent quod dicta curtis debet habere sex juratos solummodo qui specialia bona possident quorum quinque pro praesenti jam dudum juraverunt, et sextus videlicet possidens mansum Joannis Buyckhorn nondum juravit, quia nondum fuit habilis ad hoc.

**Art. 10.** Item requisiti ulterius de jure advocati curtis de Dorsten, et quale jus Advocatus habeat in bonis et hominibus curtis praedictae. Ad quod supradicti jurati et curtiales prae habita deliberatione responderunt, quod Comes Clivensis ab antiquo solebat esse Advocatus electus curtis de Dorsten, et pro nunc Advocatus ejus est Domicellus Theodoricus de Marca ex parte Comitatus et Dominii Clivensis, et idem Advocatus habebit pro jure suo ab hominibus curtis praedictae viginti quinque marcas pagamenti Dorstensis pro Baightbede quas XXV. Marcas debent solvere annuatim homines curtis praedictae dicto advocate inter se secundum modum et taxationem ab antiquo consuetam, videlicet aliqui eorum plus aliqui minus. Item idem Advocatus habebit a quolibet manso inhabitato Curtis de Dorsten unum pullum in carnis privio, dictum Bastauens Hoyn, quem ipse Advocatus facit afferri per suum certum nuntium in mansis habitatis praedictis. Item praedicti homines curtis de Dorsten tenentur Advocate praedicto mittere in Dominica proxima ante festum Stae Margarethae virginis ad horreum in Götterswyde quatuor equos valentes ad trahendum in curru, qui equi trahent et ducent blada Advocati ad horreum praedictum. Ipse vero Advocatus dabit eis pabulum per idem tempus quo laboraverint, et reduci faciet seu remittet praedictos equos hominibus ante scriptis in Dominica ante festum decollationis Sti Joannis Baptista proxima, Praeterea idem Advocatus homines curtis de Dorsten defendere, et in omnibus juribus, consuetudinibus et libertatibus conservare et conservari procurare. Ipsi vero homines curtis antedictae in nullo altero servitio seu officio praeterquam praemissum est, dicto Advocate ratione bonorum curtis supradictae, sunt de jure astricti seu obligati.

**Art. 11.** Item requisiti utrum Domicellus Theodoricus de Marca pro nunc Advocatus curtis de Dorsten tollit per se vel per suum certum nuntium seu Officiatum praedictos redditus Advocatiae? Respondent quod non, sed multi habent redditus praedictos a praedicto Domicello unus plus alter minus qui sunt vasalli ipsius Domicelli ratione talium reddituum.

Art. 12. Item requisiti utrum Domicellus Theodoricus praedict. vel alius Advocatus eorum curtis praedictae posset redditus Advocatiae praedictae alteri tradere et assignare citra consensum et voluntatem Dominorum Decani et Capituli Xantens. praedictorum. Ad quod respondent, quod hoc definire non possunt, comitentes illud Dominis praedictis et juri.

Art. 13. Item requisiti si aliqua bona pertinentia ad curtem praedictam vacarent, de quibus nemo se intromitteret utrum dicti domini valerent se de talibus intromittere et de eis disponere ad eorum beneplacitum. Respondent, quod dicti Domini possunt se de talibus bonis intromittere et de talibus disponere praehabito consilio juratorum et curtialium praedictorum et consensu eorum adhibito.

Super quibus omnibus et singulis praefati Domini Goswinus de Wynga Canon. Ecclesiae Xanten. et Goswinus Pastor Ecclesiae parochialis in Glaibbecke Judex seu officiatis curtis de Dorsten Dnorum praedictorum petierunt sibi nomine super nominatorum Dominorum Decani et Capituli Ecclesiae Xantens. et aliorum quorum inter est vel interesse poterit fieri unum vel plura, publicum vel publica instrumenta seu instrumentum ad dictamen cujuscunque sapientis substantia facti non mutata. Acta, dicta, facta, decreta et pronuntiata sunt haec in Ecclesia parochiali oppidi Dorstensis sub turri campanarum ejusdem ubi praenominatus Dominus Goswinus Judex tanquam pro tribunali una cum dicto Dno Goswino de Wynga presidens sibi a predictis juratis et curtialibus petit super praemissis punctis prout praetactum est responderi et responsum est. Praesentibus ibidem discretis viris Dno Brunone Peleginini Pbro beneficiato in Ecclesia de Dorsten memorat. ac Joanne de Levyt laico oppidano Xantens. Coloniens. Dioeces. testibus fide dignis ad praemissa vocatis et rogatis.

Et Ego Joannes de Bemel Clericus Coloniens. Dioeces. Publicus Imperiali auctoritate Notarius quia praemissis requisitioni, responsioni et pronuntiationi ac omnibus aliis et singulis dum sic, pro ut praemittitur, agerentur et fierent una cum p[re] nominatis testibus praesens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi. Ideo hoc praesens publicum instrumentum manu mea propria scriptum exinde confecei et in hanc publicam formam redegi, quod signo et nomine meis solitis et consuetis signavi in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum.

Collationata et auscultata est haec praesens copia cum suo vero originali cum quo concordat de verbo ad verbum per me Joannem Meher Notarium publicum quod attestor manu mea propria.